

6

Sermo de digna

Praeparatione cordis

pro suscipiendo Sacramento Eucha-

ristiae R. P. Martini Luther

Augustiniani Vuit-
tenbergensis.

SERMO DE DIGNA PRAEPARA-
tione cordis/pro suscipiendo Sacramen-
to Eucharistie. R. P. Martini Lu-
ther Augustiniani Vuits-
tenbergensis.

¶ Primo/necessarium est/ vt omnia manifeste mortalia
confitearis/atq; doleas. Manifeste dico/ quia occulta ne-
mo scire potest/ Iuxta illud Psalmus. xvij. Delicta quis
intelligit &c.

¶ Secundo. Inter omnia peccata mortalia /precipue in-
uidiam/displicientia/ aut quancuncq; prorsus amaritudi-
nem cordis erga proximū tuum deponas. Nō est enim
aliud peccatū eque huic sacramento aduersum/atq; dis-
cordia. Contrariū est enim/ & nomini & rei huius sacra-
menti Nomen est Cōmunio. Res vnitas cordium/ sicut
vna fides/vnū baptisma/vnus dñs/vna spes/ac prorsus
omnia eadem & cōmunia. Quod & figurat in specieb⁹
sacramenti/in quibus multa grana/amissa singulorū dif-
ferentia/in vnum panē, Item vne mltē/ amissa sua quoq;
differentia/ in vnum vinum redacta sunt.

¶ Tertio. Quia iuxta scripturam/ Stultus est qui in cor-
de suo confidit/cumq; nullus sit hominum qui non ha-
beat debitorem, vt. Btūs Augustinus ait. i. nullus est qui
non inueniat/aut certe non aduertit/ vel ignorat sese in-
uenire i aliquibus/vel aliquo, quod sibi placeat/desperā-
dum est tibi de tuo studio/q; nō poteris erga omēs ama-
ritudinem deponere, Ideoq; iuxta Christi cōsiliū intres
cubiculū/ores patrem tuū, vt ignorantias tuas non me-
minisse velit/& id per gratiam suam facere/quod tuis vi-
ribus non potes. id est. Cor dulce & commune dare.

¶ Sed hac præparatio, est

Remota, etiam confessuro necessaria/ et quodlibet sa-
cramentum recepturo. Ideo.

¶ Quarto. Oportet vt animam vacuam et esurientem
offeras, id est, te plenū multis malis morbisq; anime con-
fitearis, sicut in veritate es, etiam si forte nō sentias, Nam

vt B. Aug. Iste cibus nihil eque odit ac saturum fastidi-
entemq; stomachum, nihil ita querit sicut animam esuri-
entem, vt ipse quoq; dominus Matth. v. Beati qui esu-
riunt iusticiam, quoniam ipsi saturabuntur. Item. B. Vir-
go. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.
Et ps. cvi. Quia satiauit animam inanem, & animam esu-
rientem satiauit bonis. Bona vero que sunt alia: q̄ ea que
Gala. xv. recitat Apostolus (dicens) Fructus spiritus
sunt charitas, gaudiū, pax, paciētia, bonitas, benignitas,
mansuetudo, fides, longanimitas, modestia, continentia,
castitas. In his si te sentis deficere, & gemis, optasq; illa
obtinere, securus accede, nusquam enim inuenies illa, nisi
si in isto sacramento.

¶ Corollarium primum.

¶ Optima dispositio est non nisi ea, qua, pessime es
dispositus, Et contra, Tunc pessime es dispositus, quan-
do es optime dispositus. Quod sic intelligitur, q̄ quando
sentis te miserimū, et egenum gratia, iam eo ipso capax
es gratie, et idoneus maxime. Rursus plus q̄ mortem &
infernum timeas, ne quando sic accedas vt tibi dispositus
videaris, ac dignus quasi allaturus Deo cor mundum,
quod potius fuerat tibi querendum & recipiendum.
Stat firma & insolubilis sententia. Non est opus medico
bene habentibus, sed male habentibus. Nā sicut nō tunc,
ita nec nūc Christus venit vocare iustos, sed peccatores
ad pœnitentiā. Ideo pœnitentia potius post, q̄ ante sacra-
mentum digne peragitur. Deus tuus est honorum tuo-
rum non indigus, sed bonorum suorum largus in te, ve-
nit ad te.

¶ Corollarium secundū.

¶ Magnus & perniciosus error est, si quis accedat ad sa-
cramentum, ea nixus fiducia, q̄ confessus sit, q̄ non sit si-
bi conscius mortalis peccati, q̄ orationes & preparato-
ria sua p̄miserit, Omnes hi iudicium sibi manducant
& bibunt, quia his omnibus non fiunt digni neq; puri,
Immo per eam fiduciam puritatis peius polluuntur, fiunt
autem puri per fidem, vt sequitur.

A ij

¶ Quinto/ id cura/ vt cū plena/ aut saltem possibili fide accedas certissime confidens tete gratiā consequuturū. Tantum enim accipies, quantū credis te accepturū/ sicut Christ⁹ ait. Quicquid orātes petieritis/ credite ꝓ accipietis. Et iterū dicit tibi illud/ Fiat tibi sicut credidisti. Si enī accederes sine ista fide/ iudiciū tibi oīno acciperes et mortē Sic enī in oī alio sacramento nō nisi illusio & fictio agitur sine fide si percipitur quod est horrendum.

¶ Hec itaq; fides sola & sūma ac proxīa dispositio/ facit vere puros & dignos/ quia nō nitit̄ in opib⁹ aut virib⁹ nostris/ sed ī purissimo/ pñssimo / firmissimoq; verbo Chri dicētis, Venite ad me oēs qui laboratis/ & onerati estis/ & ego reficiā vos. Et iterū. Beati qui esuriunt & sitiūt iusticiā/ quoniā ipsi saturabuntur. Fides enim est quæ iustificat/ purificat/ dignificat, Vt Actu. xv. Fide purificans corda eorum &c. Corollarium.

¶ Quicquid sit de contritione tua/ de poenitētia vera vꝑ falsa/ illud maxime stude/ vt in præsumptione istorū verborū Christi accedas/ & sic accedēs illuminaberis/ & facies tua non confundetur. Vel matrē eius noli mendacē facere/ qui dicit. Esurientes impleuit bonis. Multo magis ne ipsummet dum arguas mendacij/ vbi præmittit. Venite ad me &c. Argues autam mendacij / si non credis eū ita facturum tibi sicut ꝓmittit, Ideo infidelitas est maximum peccatum/ & recta blasphemia in veritatem diuinā.

¶ Sexto. Si sentis te nec ista duo posse/ vꝑ satis posse/ sicut vere senties si te ipsum probabis. Hic non verearis cū Apostolis dominū orare / Domine adauge nobis fidē / & cum illo patre illius demoniaci. Mar. ix. Domine adiuua incredulitatem meam. intra in cubiculum tuum/ et dic patri tuo in cœlis. Ecce mi domine Iesu Christe miseriam meam respice / inops & pauper sum/ & tamē a deo fastidiosus medicinę tuę/ vt nec diuitias gratię tuę suspirē Accende me domine desyderiū gratię tuę & fidē promissionis tuę/ vt nō offendam te optimum deum meū peruersa mea et incredulitate et saturitate. Ac sic accede cum fiducia misericordię eius/ & in timore indignitatis tuę.

¶ Sed hic tractandum est illud Apost. i. Corin. ij.
PROBET autem seipsum hō &c. Hoc verbū multi sic
intelligere videntur / ac si velit Apłus nos non ante de
bere accedere / q̄ donec inuenerimus nos dignos & pu
ros ab omni peccato / Ideo sibiipsis faciunt angustiam &
carnificinā cōscientie / discutiendo / conterendo / confitē
do nō solū venialia / sed ea quæ nō sunt peccata. Et his fa
ctis (quod est horrendū barathrū præsumptiōis) iā se
cure accedunt / nec de fide sua quicq̄ solliciti. Volūt enim
iusti & digni venire / & similes deo sicut lucifer / quū de
berent velle iusti & digni fieri et redire ad deū. Igit̄ illud
v̄bū dictū est cōtra eos qui Chr̄m diuidebāt in diuersas
sectas / alij volentes esse Pauli / alij Cephe / alij Apollinis /
alij Christi sequaces. i. Corin. ij. Et ideo inuicē iudicabāt
& damnabāt / atq̄ contemnebāt. Insuper ad sacramen
tū alij alios pręueniebāt & præsimebāt / vt alij venturi ni
hil haberēt / vt clare ex textu & gl. B. Aug. patet / Quos
Apłus arguit & p̄nūciat indigne manducare &c. volēs
vt seipfos potius p̄barent / iudicarēt / dānarēt / et nō alios
Ea enī discordia (vt diximus) maxie facit indignos &
reos corpis dñici / hanc eius eē sententiā sequētia ostēdūt.
Itaq̄ (ait Paulus) fratres mei / cū cōuenietis ad mandu
candū inuicē / expectate / ne in iudiciū cōueniatis. Item.
Si nos ip̄os iudicarem⁹ / nō vtiq̄ iudicaremur a dño. Itē
dijudicans corpus domini. q. d. Ita acceditis / ac si corpus
dñi nihilo esset dignius reliquo pane naturali.

¶ Potest quidem illud verbū etiam de probatione intel
ligi / qua homo peccata sua discutit atq̄ ponderat / sed ea
non est satis / nec pertinet nisi ad insensatos et crassos illos
sacramenti contemptores. Non enim sufficit vt probes
& pōderes / q̄ malus fueris / nisi magis ponderes ac pro
bes / q̄ bonus fieri cupias & anheles.

¶ Corollarium.

¶ Si Apłus eo verbo vellet nos p̄bariā nobis / vsq̄ dū
digni fieremus / prorsus ad impossibile nos obligasset / &
oēs hoīes etiā sanctos cōmunionē priuasset / sibi deniq̄
ipsi in plerisq̄ locis contradixisset / vbi clamat omnes esse

A ij

peccatores, & sola iustificandos fide, Oportet enim accessurum ad sacramentum esse certissimum se sine peccato mortali esse, si non velit iudicium sumere. At impossibile est, ut ex se et suis viribus certus fiat. Iuxta illud. Delecta quis intelligit, ab occultis munda me domine. Et illud Hieron. Præuū et inscrutabile est cor hominis, quis scrutabitur illud? Ego dominus scrutans renes & corda. Relinquitur itaque ut certitudo illa stet super firmam infallibilemque petram. i. Christum & verbum eius.

¶ Quare, Vera & solida probatio est, si te inueneris in anem quidem & sine pondere salutis & iusticie, onustum vero ac laborantem in multis, malisque cupiditatibus, quibus inuentis anheles, sitias gratiam & misericordiam, easque non dubites te te consequiturum.

¶ Sic, B. Gregorius reprehendens Petrum, quod dominum iussisset abire a se, quia peccator esset, ait. Si te peccatorem agnoscis, non oportet dominum repellere abs te, sed multo magis inuitare. Et B. Ambrosius. Quia quotidie pecco, necesse habeo quotidie communicare. Et quidam patrum consuluit, ne facile quis se abstineret comunione, ne forte simul & longe fiat a Christo. Non enim venenum nobis dedisse ac reliquisse timendus est, qui nouissimum & maximum charitatis, quam ad peccatores gerit, memoriale seipsum protestatur reliquisse, dum institueret sacramentum illud.

¶ Septimo. Si tandem adeo infirmus es in fide, ut nec illa te satis iuuent, aut non possis ea præstare, adprehende illud nouissimum infirmorum remedium, et permittite te sicut infantem gestari in vlnis, & sinu matris Ecclesie. Immo cum paralytico in lectulo, ut dominus fidem illorum saltem intueatur, quando tua nulla est. Item ut in fide vel vniuersalis Ecclesie, vel hominis fidelis tibi noti accedas, et audacter dicas domino Ihesu. Ecce domine Ihesu Christe doleo me tam infirmum, ut de tuo inest mabilis in nos amore nihil, aut tam parum præsumam. Ideo suscipe me in fide Ecclesie tue, & illius aut illius. N. Quicquid enim sit de me necesse est o domine me obedire Ec

clesie tue, quæ iubet vt accedam. In obedientia venio sal-
tem si nihil aliud affero, & crede firmiter q̄ non indignus
accesseris. Non est dubium qm̄ obedientiã Ecclesie tan-
q̄ sibi factã acceptet. Nō magis certe q̄ pericū q̄ aliene fidei
dei merito baptisat̄ & saluatur. Sic. B. Bernh. Quū ali-
quando haberet fratrem nimis timidū & scrupulosum.
ita vt nollet celebrare, ait ad eum. Vade mi frater & cele-
bra in fide mea, & iuit ille obediens, & sanatus est ab om-
ni languore conscientie sue.

¶ Hæc itaq; latius dixi, quia compertum habeo multo-
rum concionatorum terroribus, eo redactas Christiano-
rum conscientias, vt sibi ex Christo Mosem fecerint, ex
gratia legem, ex remedio venenum, dum Christum fal-
so imaginantur ex actorem magis q̄ largitorem, vltorē
magis q̄ propitiatorem, & in summa damnatorem ma-
gis q̄ saluatorem. Ita vt iam nec nominis sui, quod est
IHESVS Christus (.i. salutaris & vnctus) gloria, sit in
cordibus nostris, nisi nudis syllabis. Non igitur oportet
terribiles iudicij minas intentare, sed duris & insensatis,
Trepidis vero atq; scrupulosis, leuiore misericordie p̄-
missiones sunt declarandę, quia alia medicina alijs coue-
nit morbis.

¶ Octauo. Nec illud omittendum, immo maxime cu-
randum, vt memoria passionis Christi non dimittatur.
Quid enim prodest, si digne prepararis, & nō impleas id,
ad quod te preparasti. Nam precepit dominus id sacra-
mentū, non nisi in memoriam sui celebrari. Ideo obmit-
tendum est, si memoriam eius amittere voles. Sic dixit.
Hæc quocienscunq; feceritis in mei memoriam facietis.
Et Paulus. Quotiescunq; manducabitis panem hunc,
& calicem bibetis, mortem domini annunciabitis donec
veniat. Inde enī statuit, vt missa sine Euāgelio non legat̄.
Hæc memoria autem alium requirit sermonē, quia non
minus & ipsa in superstitiones & literalem hypocritism
apud multos versa, q̄ pleraq; alia sacratissima dei dona.

FINIS.

Fl 289



ULB Halle 3
001 343 890



Sl


~~TA-OL~~

R

Ant.







**Sermo de digna
Praeparatione cordis**
pro suscipiendo Sacramento Eucharistiae
R. P. Martini Luther
Augustiniani Vuitenbergensis.

[Faint, mostly illegible Latin text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

